# CARMEN HEROICUM IN GLORIOSAM IESU CHRISTI RESURRECTIONEM: SCRIPTUM ET...

August Erich

# ΕΥΦΗΜΙΑ THALIAE
## in Auctorem.

*CArmina cum nostri legisset forsan ERICI,*
*Blandidula ridens voce Thalia refert:*
*Non sic vere nouo mellitùm Daulias ales,*
*Non sic finitimo funere cantat olor:*
*Dulciter vt resonant AVGVSTI clara Trophæa*
*Terrigenus quibus est pax data, parta salus.*
*Huic carmē CHRISTVS, Christus nigra tartara frangēs,*
*Quam rectè, CHRISTVM dum canit, ille canit.*
*Sic Dea: cælicolæ mox applausère cohortes,*
*Talibus & lætâ plectra ciēre modis:*
*O lætum carmen, victoria læta: Triumphus*
*Cedat hic in laudes optime CHRISTE tuas.*

*Casparus Schallis*
*Dresdensis.*

IN

# IN GLORIOSAM IESV CHRISTI RESVRRECTIONEM.

*NVnc iterum nitidi solis prænuncius exit*
*Lucifer, ac solitò cœlo procedit aperto*
*Purior, æthereo radijs assurgit ab axe*
*Lucidiùs Titan: tellus & conscius æther,*
*Desuper & quæcunq; poli conuexa tuentur,*
*Se nunc læta ferunt: celsi gens incola cœli*
*Læticia plausuq; fremit, cantuq; resultans*
*Præsentem læto lucem clamore salutat,*
*Qua dia virtute potens rediuiuus ab Orco*
*Exijt, & victor superas euasit ad auras*
*Christus, vbi diræ passus discrimina mortis*
*Sub pedibus Lethum posuit, vimq; exuit Orco,*
*Ostenditq; alacres cœlo, quos hostis habebat*
*Improbus inclusos, manes, Acherontis in antro.*

*Quare agite ô læti mortales soluite mentes*
*Tristicia, ex alto durum remouete dolorem*
*Pectore, & antiquas animi secludite curas,*
*Fas ita: nunc puris animis & voce fauentes*
*Concelebrate diem: Non hæc solennia nobis*
*Vana superstitio, nostræq; ignara salutis*

*Imposuit: sacra hæc crudeli ex hoste, quotannis,*
*Seruati, facimus Christoq́ nouamus honores,*
*Præteriti ex longo repetentes temporis acta.*
*Et nunc quod miseris nimium perferre molestum*
*Ante fuit meminisse iuuat, nunc voluere casus*
*Nequaquam piget antiquos, contraria fatis*
*Fata rependentes, partamq́ labore quietem*
*Diuino: cessent curæ, timor omnis abesto,*
*Gaudia parta pijs tandem, nunc omnia versa*
*In melius video, componunt secula pacem*
*Hæc exoptatam, nunc omnibus exulat oris*
*Quæ fuerat quondam facies tristissima rerum,*
*Captus vbi vetito mali infelicis amore*
*Primus homo, stygia malesuadi fraude colubri*
*Impulsus morsu violârat fœdera legis*
*Diuinæ, genus atq́ hominum demerserat omne*
*Tartareis tenebris, Lethoq́ obiecerat atro.*
*Quis cladem illius secli, variosq́ labores*
*Humani generis, quis lamentabile tempus*
*Explicet, aut poterit lacrymis æquare dolorem?*
*Quis rabiem hostilem, quis inexaturabile pectus*
*Tartarei Ditis, quis strages, quisq́ furores*
*Commemoret, postquam vidit cecidisse veneno*
*Vipereo astuta deceptos fraude parentes?*
*Hêi mihi qualis erat? quantum mutatus ab angue*
*Humani generis status, vt Deus ipse tonabat*

*Desuper, vltricesq́ suis referebat Adamo*
*Pro meritis pœnas, quas ille atq; omnis ab illo*
*Progenies Lethi quondam luitura sub vmbris.*
*Ex illo fluere ac retro sublapsa referri*
*Spes hominum, cœpit se tum res dura repente*
*Obijcere, infensus nobis tum redditus æther*
*Sub pedibus mugîsse solum, gemitusq́ cauernas*
*Sæpe dedisse cauas audisses, omnibus æqua*
*Amplius haud fuit aura leuis, rutilantia cœlo*
*Sydera tum fulsêre minus, caput ipse coruscus*
*Cynthius æquoreis obscurius extulit vndis,*
*Lunaq́ contusis per cœlum cornibus iuit:*
*Tum quicquid cœlum, tellus tum quicquid habebat,*
*Tum fluuij & fontes & inhospita lustra ferarum,*
*Et quæ stellifero suberant animantia cœlo,*
*Obstupuêre malo & nostro concussa dolore*
*Flebant, ac mœsto replebant omnia luctu.*
*Tum quoq; tristis Adam, vitam lucemq́ perosus,*
*Quem lethi terror, diuini numinis ira,*
*Et furiæ vltrices, & inexpugnabilis hostis,*
*Sæuaq́ diuinæ legis maledicta premebant.*
*Multa gemens fletu vitam luctuq́ trahebat*
*Assiduo, atq; animo fractus, cæcusq́ furore*
*Plurima voluebat secum, tum furta nefanda,*
*Tum sortem amissam, tum non reparabile donum,*
*Iusticiæq́ decus tristi sub corde gemebat,*

 Nequic-

*Nequicquam incusans se, qui non fœdere pacto*
*Manserat, & vetita decerpserat arbore fœtus,*
*Unde omnis consumta salus, spes omnis ademta*
*Cœlestis patriæ, cuius spes nulla videndi*
*Amplius extabat, quando strictissima legis*
*Regula diuinæ sontem damnauerat Orco.*
*Iamq; erat vt miseros dux & moderator Auerni,*
*Improbus astuta quos fraude abduxerat almo*
*Numine, tartareis vinclis vinciret, & Orco*
*Addictos prædo sub ferrea iura referret,*
*Aeternumq; sua victor ditione teneret.*
*Tum vero exoritur clamor, ferit aurea planctus*
*Sydera, luctificis respondent cuncta querelis,*
*Terra fremit, resonant scopuli, vallesq; profundæ,*
*Dum pater exclamans mœsta cum coniuge Adamus*
*Ad superos inquit: Deus ô Deus, ánne tuarum*
*Sic manuum monumenta voles resoluta perire*
*Letho? Sic prorsus cœli nos trudis ab arce?*
*Nil nostri miserere, mori num deniq; cogis?*
*Parce tuo generi & propius res aspice nostras,*
*Parce Deus, miserere animorum extrema ferentûm.*
*Aspicis vt tortor tuus implacabilis hostis,*
*Mancipium baratri, nos sub sua iura rēdegit?*
*Aspicis vt premat imperio? ne subtrahe nostris*
*Te precibus Deus alme Deus, res eripe letho.*
*Namq; potes, nosq; eiectos in pristina redde.*

*At*

*At non hæc nullis oculis aspexit ab alto*
*Omnipotens rerum sator, ac miseratus egentum*
*Res hominum afflictas genitor, mentemq́ benignam*
*Accipiens genus in nostrum, succurrere tandem*
*Constituit lapsis, animo longeq́ reuoluens*
*Consilium quod Tergeminus quondam ante Senatus*
*Decrêrat, quàm constiterant fundamina mùndi,*
*Accersit natum & solio sic fatur ab alto:*
*Nate decus nostrum, nostriq́ simillima imago:*
*Nate meæ vires, mea sòla & summa voluptas,*
*In quem spes hominum solum inclinata recumbit,*
*Aspicis vt miseri fatis vrgentur acerbis?*
*Hostis & vt stygius vinclis constrinxit aheneis?*
*Vt properat tortor cœcæ ad formidinis aulam?*
*Et iam iamq́ iugo nigri submittet Auerni*
*Ni cohibes? mitis tandem miserere tuorum,*
*Eripe res letho, tibi fas transire per vmbras*
*Tartareasq́ domos, & inexorabile fatum*
*Flectere, & exclusos malesuadi fraude Draconis*
*Reddere cœlesti rursus ditione potiri.*
*Surge, ait, atq́ tuos instantibus eripe fatis.*
*Filius antiquæ sensit vestigia flammæ*
*Continuò genus in nostrum, seseq́ parenti*
*Obtulit, & coram dictis respondit amicis:*
*Si te tanta tui generis pater optime curæ*
*Angit, & hæc animo certa est & fixa voluntas,*

*Nequaquam, tua progenies indigna recuso*
*Ferre, sed huc insons ad tristia funera pergo,*
*Aspera tentabo pro nostris prælia lethi,*
*Detentum mortale genus tibi carcere cæco*
*Eripiam, & tutos patrio sub limine sistam:*
*At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis*
*Improbe (nam cælo Deus est qui talia curat)*
*Dignas persoluam grates & præmia reddam*
*Debita, nil quicquam veritus qui fraude dolosa*
*Incautum genus humanum diuellere amore*
*Cælesti, atq; adeo indignis inuoluere rebus.*
*Dicta fides sequitur: collectus in ossa figuræ*
*Humanæ cælo sese dimittit ab alto*
*Filius æterno soboles æqueua parenti,*
*Hostile ac medium sese moriturus in agmen*
*Inijcit, & mortem pro libertate pacisci*
*Christiadum haud dubitat, nec tum, quo falleret artem*
*Serpentis Stygiam, vires extare latentes*
*Omnipotens voluit Verbum, sed tegmine carnis*
*Velatum fragili latuit suaq; abdidit arma,*
*Illectum vt tandem serpentem & tuta videntem*
*Omnia, vulnificaq; inhiantem fauce repertæ*
*Prædæ, deciperet, tandemq; inuaderet Orcum,*
*Vimq; Erebi & mortis vi dia euerteret omnem:*
*Ceu solet astutus piscator piscibus hamo*
*Insidias struere & vermem subfigere ferro,*

Squami=

*Squamiger vt si forte velit comprendere vermem*
*Affixum, morsu occulto capiatur ab ære.*
*Ergo vbi sic animi stygius fidentior Anguis*
*Omnia nunc effecta putat, nec lumine cassum*
*Occlusumq́ cauo Semen mulieris in antro*
*Obseruat, soluitq́ animum formidine longa,*
*Et sese accingit prædæ, Deus ecce repente*
*Occultas vires & non superabile robur*
*Exerit & stygias fauces & Auerna per alta*
*Accelerans gressus Erebi descendit ad vmbras:*
*Tum vero exoritur stridor, clamorq́, paludes*
*Respondent Stygiæ, regnum tonat omne tumultu*
*Tartareum, cæciq́ tremunt nigra agmina Auerni,*
*Vt vidêre Deum venientem. Vertere terga*
*Pars audet (fuga nec tanti super vlla pericli eSt)*
*Pars vero ingentem fumum (mirabile dictu)*
*Faucibus emittit, vastisq́ molaribus instat:*
*Rex Erebi formas sese transformat in omnes,*
*Possit vt à regno præsentem auellere pestem:*
*At Deus in tenebris incendia & arma vomentem*
*Corripit in nodum complexus & angit inhærens*
*Mordentem plantas seq́ in sua membra plicantem,*
*Ardentemq́ oculis & sibila colla tumentem*
*Contundit, sparso rorat styx atra cerebro.*
*Iamq́ vbi se aduerso ostendit Mors horrida Marte.*
*Concidit, & vulsis sonitum dant artubus ossa*

*Pandi-*

*Panditur ex illo domus igniuomentis Auerni*
*Vi dia, emoti procumbunt cardine postes,*
*Captiuiq́; stupent immisso lumine manes,*
*Vmbrosæ postquam penitus patuêre cauernæ:*
*Iamq́; erat vt gelidam lux tertia mouerat vmbram*
*Viderat ex qua Sol extincti funera Christi,*
*Et ferrugineo faciem velârat amictu,*
*Ecce iterum victor, spolijs Acherontis onustus*
*Exit, & infernas sedes somnumq́; profundum*
*Linquens, sese effert repetitæ lucis in auras,*
*Inclusas superumq́; animas ad lumen ab Orco*
*Ducit, & eiectas in pristina regna reponit.*
*Ex illo celebratus honos, Christoq́; parentes*
*Seruauêre diem, nobis quæ maxima semper,*
*Qua dedit excidio Christus vimq́; exuit omnem*
*Regnatori Erebi, viresq́; animumq́; ferocem*
*Eripuit letho, & dirum obtruncauit acumen,*
*Cælestiq́; suos quondam de sede repulsos*
*Restituit, dedit & cœlum sine fine tenendum.*
*Quare agite vnanimes tantarum in munere laudum*
*Christicolæ hanc celebrâte diem, date serta puellæ,*
*Dicite Io lætæ matres, & spargite flores*
*Purpureos, pueri gratum date gutture carmen*
*Ingentiq́; nouum victorem laude sonate,*
*Quo duce nunc iterum magni procedere menses*
*Incipiunt, terrisq́; noui illucescere soles,*

*Hic*

*Hic si quæ suberant priscæ vestigia fraudis*
*Abstulit atq; omni soluit formidine terras,*
*Legibus atq; nouis totum moderabitur orbem.*
*Sed quas Christe tibi victor quas dicere grates*
*Quasúe referre parem? Grates persoluere dignas*
*Non opis est nostræ, nec gentis quicquid vbiq; est*
*Mortalis, tibi digna valet persoluere dona.*
*Tu nos ereptos medijs è faucibus Orci*
*Morte tua cœlo ostendis, te Christe fauente*
*Res hominum nunquam miseras victasq́ fatebor,*
*Te stygij tremuere lacus: tu maximus ille es*
*Vnus qui nobis moriendo restituis rem,*
*Per te parta quies nobis & meta malorum,*
*Te duce supremæ cum vitæ aduenerit hora*
*Syderei lætus transcendam culmina cœli,*
*Quando morte tua tanto dignamur honore.*
*Ergo triumphator, Saluator maxime, Salue,*
*Salue perpetuum spes indubitata tuorum:*
*Susceptamq́ tuæ gentis non abijce curam.*

*A. E. D.*

F I N I S.